

TITULUS DECIMUS SEPTIMUS.
DE DUOBUS REIS STIPULANDI, ET PROMITTENDI.

Dig. Lib. 45. Tit. 2. C. Lib. 8. Tit. 40. Nov. 99.

Continuatio. Reos olim appellatos omnes, quorum de re disceptabatur.

IN duobus reis, quos Ulpianus l. 3. §. 3. de lib. legas. conreos appellat, si sequemur regulas juris de iis, qui stipulati sunt, aut promissur, non erat, cur de his ageretur separatim. Nunc autem quia in his aliud singulare est, quod à jure reliquorum stipulatorum & promissorum longè distat, ideo quidnam id esset, proprio titulo exquirunt, quod & factum est in * & C. Reus à re, id est, lite dictus est, eoque nomine veteres utrumque litigatorem denotabant. Cicero lib. 2. de Orat. cap. 43. *Reos appello, inquit, non modo eos, qui sequuntur, sed omnes quorum de re disceptatur.* Gallus Elius apud Iulium, *Reus est, qui cum altero litens contestatam habet, sine qui, si cum eo actum est.* Pomponius l. 5. de verb. oblig. *Conventioales (stipulationes) sunt, quae ex conventione reorum fiunt. Et quatenus ubi nunc obtrinit, ut si solus, cum quo agitur, sive unde petitur, reus dicatur, propter excellentiam scilicet, quia de re ejus præcipue iudicio agitur, utpote qui soli imminet periculum condemnationis; tamen verbi proprietatem in quibusdam adhuc retinemus: nec solum reum promittendi, debendi, satisfaciendi, verum etiam stipulandi, credendi, satis accipiendi, dicimus; ut passim in tit. hujus argumenti.*

TEXTUS.

Quibus modis duo rei fieri possunt.

Et stipulandi & promittendi duo plures fieri possunt. Stipulandi ita, si post omnium interrogationem promissor respondeat; Spondeo, ut puta cum duobus separatim stipulantibus ita promissor respondeat; Utrique vestrum dare spondeo. Nam si prius Titio sponderit, deinde alio interrogante spondeat, alia atque alia erit obligatio, nec creduntur duo rei stipulandi esse. Duo pluresve res promittendi ita fiunt; Mei, decem aureos dare spondeo? & Seji, eisdem decem aureos dare spondeo? si respondeant singuli separatim, Spondeo.

NOTÆ.

Utrique vestrum dare spondeo Igitur duo rei stipulandi sunt, qui eandem rem ab eodem in

solidum stipulati sunt, ea mente, ut quamvis solida singulis, una tamen omnibus debeatur, §. prox. *Singulis separatim spondeo* Aut *spondemus* l. 4. hoc tit. Duo ergo rei promittendi sunt, quorum singuli eandem rem eidem stipulanti solidum promittuntur ea mente, ut quamvis solidum singuli, unum tamen omnes debeant, l. 2. l. 3. §. 1. eod. & d. §. prox. Sed hodie duo rei promittendi non fiunt, nisi id specialiter actum sit, ut uterque in solidum teneatur, *aut, hoc ita & C. hoc tit.*

COMMENTARIUS.

- 1 *Duorum reorum stipulandi definitio, ejusque definitio explicatio.*
- 2 *Duo rei promittendi qui, & in quo discrepant à fidejussoribus?*
- 3 *Orationis distributiva & alternativæ hanc vim esse, ut cuiuslibet attribatur in solidum, copulativa non item.*
- 4 *Jure novissimo non alter duos reos debendi fieri, quam si id specialiter actum.*

ET stipulandi & promittendi] Qui stipulatur, reus stipulandi dicitur: qui promittit, reus promittendi, l. 1. h. t. Itaque reus stipulandi idem est, qui stipulatur; reus promittendi, qui suo nomine alteri quid promittit. Cæterum ut duo rei fiant, conjunctas eodem tempore aut modico intervallo stipulationes esse oportet, l. 6. §. ult. l. 12. pr. hoc tit.

Stipulandi ita] Duos reos stipulandi hoc modo rectè delinimus, qui eandem rem ab eodem in solidum stipulati sunt ea mente, ut quamvis solida singulis, una tamen omnibus debeatur. Etenim ut duo rei stipulandi fiant, hæc, omnia concurrere oportet, ut uterque rem unam atque eandem stipuletur, ut ab eodem, ut in solidum, ut ea mente, ut una utrique debeatur. Et igitur sive res diversæ à duobus in stipulationem deductæ fuerint, sive unam quidem rem singuli stipuletur, sed alter verbi causa à Sejo, alter à Sempronio; vel uterque ab eodem, sed ejus rei partes, non solidum; vel solidum, sed non ea mente, ut una res singulis debeatur, sed alteri, puta res ipsa, alteri rei æstimatio, duo rei stipulandi non erunt, hoc text. & seq. l. 2. l. 5. §. 1. & 2. l. 15. eod. l. 3. C. eod.

Nam si prius Titio] Hoc tamen non ita præcise

accipiendum est, quasi duo rei stipulandi ita nunquam constituti intelligantur, cum singulis separatim respondeat: nam utique si hoc actum appareat, ut duo rei stipulandi fiant, quominus fiant, non putarem obtinere hanc respondentis formam: sicut ex converso non obstat, quominus duo rei promittendi fiant, si hoc actum sit, quod singuli separatim rogati sunt & sponderunt, l. 3. in fin. hoc tit.

- 2 *Duo rei promittendi*] Vel ex definitione duorum reorum stipulandi intelligi potest, quinam fiat & dicantur duo rei promittendi, nimirum quorum singuli eandem rem eidem stipulanti in solidum promittuntur, ea mente, ut quamvis solidum singuli, unum tamen omnes debeant, l. 2. l. 3. §. 1. hoc tit. §. 1. inf. eod. Unum amplius hic exigimus, ut qui ita promittunt, promittant principaliter, quo correat distinguatur à fidejussore. Illud tenendum est, ad constitutionem duorum reorum non esse necesse nominatim adici, ut correat sint, ut aut solidum singulis debeatur, singulive solidum debeant; sed id ex forma etiam ipsius stipulationis æstimari, arguente est cum hic textus & l. 3. & l. 4. eod. tum quod aliqui frustra quereretur, quod non semel queritur, an & quando duo rei constituti videantur. Finge, duos hoc modo stipulatos esse, *Cuiuslibet, vel utriusque nostrum dare spondeo?* aut, *Quilibet vel uterque vestrum dabit* Dicam, duorum reorum contractam obligationem. Hæc enim vis est distributiva, ut cuiuslibet attribatur actum in solidum, eadem nimirum, que & alternativæ: l. 8. §. 1. de legat. 1. Copulativa verò per se eam vim non habet. Unde si duo conjunctim decem stipulati sint, aut promiserint, singulis partes viriles debebantur, aut singuli debebant, nisi repetitum sit eadem decem, hoc text. & l. 2. eod. aut nominatim cautum, ut duo rei sint, seu ut singulis solidum debeatur, aut singuli solidum debeant, l. 11. §. 1. & 2. eod. Planè post constitutionem Justiniani Nov. 99 cap. 1. unde *aut, hoc ita & C. hoc tit.* non alter duo rei debendi (de correat credendi nihil novi constitutum) facti intelliguntur, quam si id specialiter actum sit, ut uterque in solidum retineretur; quod ideo fortassis Imperator constituit, quoniam ex sola verborum figura hæc rem discerni periculolum existimavit. Guelin. 3. de jur. nov. cap. 11. & lib. 4. cap. 7. Christ. volum. 3. det. 213. Gail. obs. 28. num. 6.

TEXTUS.

De effectu hujuscemodi stipulationum.

Ex hujuscemodi obligationibus & stipulationibus solidum singulis debetur, & promittentes singuli in solidum tenentur. In utraque tamen obligatione unarum verti-

tur: & vel alter debitum accipiendo, vel alter solvendo omnium perimit obligationem, & omnes liberat.

NOTÆ.

1. *Et stipulationibus*] Cujac. & Hotom. *stipulantibus.* Theoph. & F. *improbatore* i ego n. o. r. n. d. r. o. s. i. d. o. b. e. r. a. t. u. m. & *stipulantium* singulis solidum debetur. Recitè. *Vel alter solvendo*] l. 3. in fin. h. t. vel acceptum rogando, d. l. 2. l. 16. de accept. novando, seu alium debitorem dando, per l. 30. ad sc. vell. jurando, l. 28. de jurjur. non autem pacificando: nisi aut locuti sint, aut nominatim alter alteri quoque pacificatur, l. 21. §. ult. & 44. ll. seqq. ad pac.

COMMENTARIUS.

- 1 *Jure novissimo correat debendi competere beneficiam divisionem, in foro tamen mercatorum hoc non observari.*
- 2 *Non solidum solutione uni ex duobus reis credendi facta, sed etiam quovis alio modo, qui vice solutionis sit, promissor ab uno liberato, totam tollit obligationem.*
- 3 *Uno ex duobus reis promittendi solvendo, acceptum ferendo, & omnes liberat: tum alia non prostrata.*
- 4 *An correat, qui totum solvit, eo nomine adversus ceteros adionem habeat?*

IN causa plurium reorum etiam respectu perforarum, que plures sunt, plures quoque stipulationes & obligationes videri possunt, hoc text. l. 13. eod. tamen quoad rem in stipulationem deductam ac promissam, vique ipsa ac potestate, una est eademque & simplex obligatio, que in singulis in solidum activè & passivè constituit. Unde existunt due obligationes duorum reorum propriæ, que hoc §. commemorantur.

Solidum singulis debetur, & singulis in solidum Hoc primum est hujus obligationis proprium, quod & singulis reorum stipulandi solidum debetur, & singulis reorum promittendi solidum debent, ac proinde illi singuli solidum exigere, & hi singuli in solidum conveniri possunt l. 2. l. 3. §. 1. hoc tit. l. §. rem. 31. §. 1. de novat. Ceterum circa reos promittendi Novellæ Justiniani constitutio de rei promittendi. 99. vetus jus hæc tenens mutatum videtur, ut jam unus à duobus debendi reis in solidum à creditore conventus petere possit, ut divisa actione pro parte tantum conveniatur, neque aliter cum effectu cum eo agi possit, quam si correat ejus vel abiens fit, non solvendo, aut ille beneficio divisionis renunciaverit. Sententia communis usque fere sensu recepta Mynd. Schneid. hic Gomez. var. ref. 2. cap. 12. num. 1. Gail. 2. obs. 14. num. 5. Siffi 3.

Sichard. in l. 2. C. hoc tit. num. 5. Gudin. & Christin. ubi supra. Grot. 3. introduct. 3. Moller. 5. similes. 62. ubi post Jalou. & Joann. Ronchegall. excipit correes debendi testamentum constitutos. Sunt tamen nonnulli ex recentioribus, qui putant, *dist. Nov.* perperam intellectam, atque ab Inerrio *authentic. hoc tit. Cod. hoc tit.* positam esse alieno loco: non enim de correes debendi in *dist. Nov.* agi, sed de mutuis fidejussoribus, quibus veteri beneficium divisionis, quod ceteri fidejussores habent, non competeat. l. 11. *princ. eodem.* Argumento utuntur inscriptione Græca, *ἐπι ἀπορίστων*, qua voce non duo rei, sed mutui fidejussores significentur. Ego vero cum Cujacio existimo, eodem nomine à Græcis appellatos esse, & correes simplices, eo quod & ipsi conditione obligationis quidam quasi fidejussores esse videantur, l. *xix. uxori. 17. §. ultim. ad sen. Vell.* quod & Constantinus observavit in Lexico, & sententia ipsius Novellæ non obturè confirmat. Planè secundum generalem consuetudinem Antwerpæ inter mercatores observatam, *d. Nov.* locum non habet in foro mercatorum; sed potest creditor alterum ex duobus reis in solidum convenire, & ad solutionem totius constringere, *De sione 49. Curia Hollandiæ. VINN.* Sed posterior Novellæ interpretatio, quamvis à Vinnio rejecta, omnino verior est non solum ob inscriptionem Græcam & verba *ἐπι ἀπορίστων*, que in ista Novellæ *cap. xi.* occurrunt, sed cum maxime ob l. 11. *§. de duobus reis*, cui derogatum voluisse videtur Justinianus, dum ibi negatur beneficium huiusmodi competere *correes promittendis*, VICE MUTUA fidejussoribus. Hinc.

Vel alter arbitrium accipiendo, vel alter solvendo. Alter reorum stipulandi accipiendo, alter reorum promittendi solvendo: quibus verbis breviter indicatur jus singulorum in obligatione tollenda, quod est alterum in hac obligatione singulare. Sed opera pretium est, paulo latius hanc rem proponi, & in utroque reorum genere; quare id jus fit, separatim exquiri. Duobus rei stipulandi hoc in summa hic tributum est, ut singulis eorum jus fit, promissorem liberare; & liberare quibuscumque modis creditor, cui aliquid debetur, debitorem suum potest. Et igitur si uni pecunia soluta sit, ex hac causa promissor ab altero quoque hac obligatione liberabitur, *hoc text.* Sed & citra solutionem quicumque modi sunt, quibus actio aut ipso jure tollitur, aut per exceptionem submovetur, modo vim solutionis habeat, si quo ex his unus promissorem liberaverit, non à te tantum eum liberabit, sed à ceteris quoque, totamque tollet obligationem; veluti si promissori acceptum valeat, l. 2. *hoc tit.* si novandi animo alium reum ab eo acceperit, l. *si rem. 31. §. 1. de novat.* Idemque est, si jurjurandum tulerit, l. *in duobus. 28. princ. de jurjurand.* nam & jurjurandum loco solutionis cedit, l. *jurjurandum. 27. eodem tit.* item si unus pe-

cutiam sibi à promissore oblatam sine iusta causa accipere recusat, eaque postea sine culpa promissoris perierit sit, per l. *qui decem. 71. princ. de solution.* Pacificendo vero ne à promissore petat, correo non nocet: quoniam pactum non operatur ultra personas, inter quas interpositum est, nec remissio quicumque commune habet cum exactione, l. *si unus. 27. in fin. pr. junct. §. 4. versic. ante omnia de pact.* His porro consequens est, quod traditur l. 2. *hoc tit.* etiam unus ex reis stipulandi petitionem totam tolli obligationem; quod sic explicatur in d. l. 21. §. 1. *de novat.* unum judicio petentem totam rem in litem deducere; & apertius in l. 11. *§. si eorum. 21. de legat. 3.* unum ex pluribus reis credendi agendo occupare & totum consequi; ut proinde necesse sit jus alterius contumeli. Hinc responsum est, si unus ex duobus reis stipulandi semel egerit, alteri promissorem offerendo pecuniam nihil agere, l. *ex duobus. 16. hoc tit.* Ex contrario quoque si jus est in duobus reis promittendi, ut unus solvendo alteri pisset, *hoc text. l. 3. in fin. eod.* Proinde & acceptum rogando, l. 2. *eod.* l. *si ex pluribus. 16. de accept.* item novando solo alium debitorem dando, per l. *si pro uno. 10. ad sen. Vell.* ubi Cujac. 8. *ad African.* & jurando, l. *in duobus. 28. de jurjurand.* Non autem pacificendo, nisi forte pacilicentis inter sit, puta propter communionem, quia loci sunt, aut si nominatim quoque correo suo pacificatur, l. *et heredi. 21. §. ult. cum 4. l. seqq. de pact.* Sed nec adversus unum ex correes debendi infirma petitione alter liberatur, utique post constitutionem Justiniani, l. *penultim. C. de fidejuss.* nam inter veteres de hac re non convenisse in eadem constitutione, cum Justinianus indicat, ut arguunt hi loci, l. 1. §. *si ex apud. 43. de fidejuss. l. 8. §. 1. de legat. 2. l. unum. 52. de fidejuss. l. 8. §. 1. de legat. 3. eodem collati cum l. decem. 116. litem, non enim sunt duo vel de verb. oblig. l. *si per imprudentiam. 51. §. ult. de verb. oblig.* Illud tempus consistit, unum ex reis promittendi non posse ex alterius persona compensationem obicere, l. 10. *hoc tit.* neque moram unius alteri nocere, l. *moræ. 32. §. penult. de usur. id est.* non sufficere, quominus re posset precepta, & teneatur qui moram fecit, & liberetur qui non fecit, que iustus explicatur à D. Donello ad tit. *C. de duobus reis. cap. 7. & 2. seqq.* Quid si unus ex pluribus debendi reis convenus integram debitum creditori exsolvat, hab. bite eo nomine adversus ceteros actionem; Si meram fructuamque juris rationem sequimur, non habebit, etiam si ad solos correes totum creditum pervenerit, nisi creditor, quod facere cogitur, essentem solutionem actiones suas cessaverit; de quo consule Sichard. in l. *si devisa. 13. C. locat.* Ceterum aequius & benignius est, ei, qui ita solvit, etiam citra cessionem in correes actionem [subsidiatiam negotiorum gestorum] accommodari, vel in solidum, si nihil ad eum*

pervenit, vel pro ea parte, que ad alios pervenit, l. 2. *C. hoc tit.* Ita visum interpretibus communiter, & sæpe judicatum est testibus Ant. Fab. C. *sub hoc tit. defn. 1. Christin. vol. 3. dec. 214. & vol. 4. decif. 158.* contra quam tamen sententiam disputat idem Anton. Faber. 11. *conject. 6. & seqq.* Sanè à l. 2. commodè accipi potest de correes locis, eo quod pecunia dicitur communiter mutuo accepta. Ex converso, an unus ex reis stipulandi, qui totum exegit, partem cum altero communicare cogatur, tractat Bart. in l. *reos. 11. hoc tit. n. 9. Wesembec. quod rat. eod. num. 7.* Concludunt autem, non cogi, nisi vel loci sint, vel ita convenerit, vel natura obligationis & rei id ferat, arg. d. l. 11. *hoc tit. l. in leg. 62. ad leg. Falcid. l. qui hominem. 34. §. 1. de solut.*

TEXTUS.

De stipulatione pura, & de die & conditione.

2. Ex duobus reis promittendi, alius purè, alius in diem, vel sub conditione obligari potest: nec impedimento erit dies aut conditio, quominus ab eo, qui purè obligatus est, petatur.

NOTÆ.

2. *Vel sub conditione obligari potest.* Dummodo eadem res sit in cuiusque persona, & causa eadem, l. 9. §. 1. l. 15. *eod.* ut tempus idem sit aut locus solutionis, ut esse necesse l. 7. d. l. 9. §. *ultim. eod.* Obiter nota, duos reos credendi, & debendi etiam alii contractibus constitui posse, denique & testamento, d. l. 9. pr. l. 1. §. 43. & 44. *depos. l. 8. §. 1. de legat. 1. l. 5. C. si corr. potat.*

COMMENTARIUS.

1. *Imparis causa susceptionem impedire duorum reorum obligationem; at qua in modo, tempore, loco imparitas est, non impedire.*

2. *Duos reos credendi aut debendi etiam citra stipulationem constitui posse.*

Duo rei debendi aut constitui non possunt, aut res diversæ in eorum obligatione versentur, l. *si id. 15. hoc tit.* nec ita, ut imparem unius ejusdemque rei obligationem suscipiant, aut potius imparem causam, puta ut alter cultum præstet, alter non præstet, l. 9. §. 1. *eod.* At verò ut eodem modo uterque obligetur, necesse non est: fidei potest alius purè, alius in diem vel sub conditione obligari, ut ex Florent. l. 7. *eod.* hic refert Justinianus. Nimirum ubi impar causa suscipitur, imparitas obligationis perpetuo durat: quæ verò à modo & tempore est imparitas, ea veniente die aut existente conditione tollitur, atque ita obligatio reduci potest ad paritatem; ita Jo. Fab. & Canticus. *hic.* Sed nec loci solutionis diversitas impedit, quo minus duorum reorum contracta obligatio & par ab utroque causa suscepta intelligatur, d. l. 9. §. *ult.* Obiter monendi sumus, 2. duos reos credendi aut debendi non tantum verbis stipulationis constitui; quamquam id usitatum est, sed alius quoque contractibus; & denique etiam testamento. Credendi, velati, si duo eadem rem deponant, aut commodent, aut decem dent mutuo hac lege, ut is qui accipit, eorum singulis in solidum obligetur; quod in deposito intelligi Ulp. l. 1. §. *sed si duo. 44. depos.* Testamento, si testator eadem rem, eademve summam duobus legat disjunctim, hoc modo, Titio, vel Marcio decem dato, arg. l. 8. §. 1. *de legat. 1.* Debendi, velati, si quis eadem rem apud duos deposuerit utriusque fidem in solidum secutus, vel eadem rem duobus similiter commodaverit, d. l. 9. in pr. *hoc tit. d. l. 1. §. si apud 43. depos.* Sic etiam ejusdem pecunia mutuo data præter rei debendi sunt, ut omnes fide constituent ejus pecunie debitores, l. 5. *C. si corr. pot.* & testamento, si ita scriptum sit, L. Titius heres meus, aut Marcus heres meus, decem Sero dato, d. l. 8. §. 1. *de legat. 1.* nam exemplum, quo Papinianus utitur d. l. 9. in fin. *per hoc tit.* huc non pertinet, nisi eo casu, quo aperte testator voluit, ut singuli heredes solidum debeant, quod ex initio ejus loci intelligitur, add. Don. ad hunc tit. *cap. 12.*

TITULUS DECIMUS OCTAVUS. DE STIPULATIONIBUS SERVORUM.

Dig. Lib. 45. Tit. 3.

TEXTUS.

An servus stipulari possit.

Servus ex persona domini jus stipulandi habet. Sed & hereditas in plerisque personis defuncti vicem sustinet: ideoque quod servus hereditarius ante aditam hereditatem stipulatur, acquirit hereditati, ac per hoc etiam heredi postea factio acquiritur.

NOTÆ.

Ex persona domini [Servi jure civili pro nullis habentur. l. 32. de reg. jur. & quasi non sint, l. prepen. eod. Theod. Hermopol. l. 7. tit. 6. de donat. p. 1. in v. 1. de hereditatibus in, etiam ad d. d. de hereditatibus, ut ait Theop. id est, personam, ut Gloss. Ge. Lat. Hinc est quod etiam cum servus testamenti factio est. l. 31. de her. inst. v. sup. eod. tit. & quod jus stipulandi habent, ut hic.

Persona defuncti vicem] l. 34. l. 61. de acq. rer. dom. v. sup. §. 2. de her. inst.

COMMENTARIUS.

Quod a servo aut cum servo gestum est, id ex persona servi valere jus civile non patitur: quippe quo jure servi pro nullis habentur, l. quod actum. 32. de reg. jur. Sed tamen ex persona dominorum estimantur; quod eleganter Theophilus his verbis Græci expressit, Οὐ δυνάμει ἀλλὰ τῆς οὐσίας τῆς κυρίου τῆς ἀκινήτης κτήσεως. Ex quo est, quod etiam cum servis testamenti factio sit, ut & heredes institui & legatum eis relinqui possit: de quo non uno loco lib. 2. item quod jus stipulandi habent, ut ex eorum stipulatione obligatio & actio domino acquiruntur, perinde ac si ipse sibi stipulatus esset, & vox servi vox domini sit, sicut vox filii vox patris, §. si quis. 4. de §. post mortem. 12. inf. de inur. sit. Quæ tamen res non impedit, quinominus inter servum, & qui cum eo contrahit, nascatur obligatio naturalis, l. 24. de obi. et act. VINN. Fundamentum enim hujus juris est, quod servus ex principis juris Romani est res mancipii, non persona, adeoque sibi non magis actione ulla quidquam acquirere potest, quam jumentum. Atqui hoc principium juris naturæ profusus ignorat, adeoque consequens est, ut naturaliter servus obligetur, tanquam homo intellectu voluntateque præditus. HEIN.

Hereditas in plerisque persona defuncti vicem] Quoniam dixit, servum ex persona domini jus stipulandi habere, videri poterat, servum hereditarium inutiliter stipulari, utpote qui dominum non habet. Huic igitur objectioni occurrunt ait, hereditatem jacentem personam vicem sustinere, & interim pro domino esse: quod etiam identidem a veteribus traditum est, l. 13. §. 1. ad leg. Aquil. l. 15. de inter. in jure fac. l. mortuo. 22. de fid. iuss. l. hereditas. 34. l. hereditas 61. de acq. rer. dom. Ait, persona defuncti vicem sustinet, ut etiam supra §. 2. de her. inst. & discretè Jurisconsulti in l. non minus. 31. §. 1. de hered. inst. l. in eo. 33. in fin. et l. seq. de acq. rer. dom. Pomponius tamen contra scripsit, hereditatem personam sustinere heredis, l. novatio. 24. de nevot. Sed hæc pugnam alibi tollimus sub d. §. 2. de her. inst. Ait, in plerisque, nimirum quia quædam sunt, in quibus hereditas vice personæ fungi non potest, quæ proinde nec hereditati per servum hereditarium acquiri queunt: qualia sunt, quæ factum operamve personæ desiderant: hæc enim constat, in rem inanem, qualis est hereditas, non cadere. Hujus generis res est hereditas: citi enim servus hereditarius rectè hæres instituitur, tamen quia sine jussu domini hereditatem adeundo nihil agit, hæres expectandus est, l. 70. §. 1. l. 61. de acq. rer. dom. Eisdem generis est usufructus, usufructus consistere non potest, nisi sit persona, quæ fruatur, d. l. 61. l. 1. §. 2. quond. d. de usufr. leg. & ideo servus hereditarius inutiliter usufructum stipulatur, l. usufructus. 26. hoc tit.

TEXTUS.

Cui acquirat. De persona, cui stipulatur. De stipulatione impersonali.

1. Sive autem domino, sive sibi, sive conservo suo, sive impersonaliter servus stipulatur, domino acquirit. Idem juris est & in liberis, qui in potestate patris sunt, ex quibus causis acquirere possunt.

COMMENTARIUS.

Servus stipulando domino acquirit, non tantum si ipsi domino dari stipuletur, verum etiam si sibi aut conservo suo: quin immo est impersonaliter seu indefinitè non comprehensa persona, puta hoc modo: Centum aere spondesit l. 1. l. 15. hoc tit. In liberis, qui in potestate filii sunt. iis causis, ex quibus patri acquiritur, id est, ex causa pro-

DE STIPULATIONIBUS SERVORUM. TEXTUS.

De servo communi.

3. Servus communis stipulando unicuique dominorum pro portione domini acquirit: nisi jussu unius eorum, aut nominatim alicui eorum stipulatus est; tunc enim soli ei acquiritur. Quod servus communis stipulatur, si alteri ex dominis acquiri non potest, solidum alteri acquiritur: veluti si res, quam dari stipulatus est, unius domini sit.

NOTÆ.

3. Unius domini sit] Aut si servitutum ad fundum stipuletur, cum unius dumtaxat vicinum fundum habeat, l. 7. in fin. l. 17. eod.

COMMENTARIUS.

Servus communis sic omnium est, non quasi singulorum totus, sed pro partibus, utique indivisus, ut intellectus magis, quam corpore partes habeat. Ex ideo si quid stipulatur, vel quaque alia ratione acquiritur, omnibus acquiritur pro eâ parte, quæ domini sunt, verbi causa si unius duas partes, alter tertiam dumtaxat habeat, illi commodum stipulationis pro duabus partibus acquiratur, huic pro una, l. 4. l. 7. hoc tit. Sed tamen non est hoc perpetuum. Nam primum interest, utrum hoc modo servus communis stipuletur, Dominus autem dare spondesit an expressis propriis dominorum nominibus ita, l. Titio. et C. de Sero dare spondesit: nam priore quidem stipulatione partes dominice debentur, ex posteriore verò viriles: quoniam dominorum vocabula pro demonstratione habentur, l. si communis. 37. hoc tit. Sed & res hic casus hic excipiuntur; si iussu unius ex dominis stipuletur, si unum tantum, si res in stipulationem deducta ad unum tantum pertinere potest: placetque, his casibus uni illi acquiri in solidum, d. l. 5. cum aliquos segg. l. 17. l. si ex re. 28. §. 3. eod. Est & quartus casus ejusdem nature, si stipuletur ex re unius, l. si alienus. 19. junct. d. l. 28. §. 1. eod. Extra has causas, sive sibi quid dari stipuletur, sive impersonaliter, pro partibus dominicis acquirit. Atque hæc etiam aræque ad eum servum transferenda sunt, in quo plures usufructum habent item ad hominem liberum & servum alienum, qui a pluribus bona fide possidentur, quatenus scilicet hi ex causa operarum furarum ut re fructuariorum bonæ fidei possessorum stipulantur, l. 19. cum l. seq. l. 24. l. 32. et l. seq. §. 1. eod. vid. sup. §. 4. per quas pers. cuiq. acq. Jussu unius] Ac proinde hoc casu etiam si non nominatim ei qui iussit stipulatus fuerit, nihilominus tamen huic soli acquiritur. Sunt enim hæc duo distincta membra, eisdemque potestatis est stipulatio jussu unius facta, cujus facta unius nominatim citra iussum. Sed quid si iussu contempserit stipuletur alteri nominatim? Apud veteres utri acquireret dubium fuit: sed Justinianus inf. §. ult. per quas pers. obi. ait, he hæc controversiam decidisse pro eo qui iussit. Extat consuetudo ejus in d. ult. C. per quas pers. nob. acq. T t t

profectu peculli, item adventitii quoad usufructum, stipulantis eadem ratio est, quæ servi, patri ut ex his causis acquirat, propter jus scilicet potestatis, quod hæcenus simile herili, l. stipulatio ista. 38. §. hi qui. et §. alteri. 17. l. quædemque. 45. pr. et fin. de verb. obi. inf. quod cum eo, qui in al. pot. in pr. Repetenda hic est distinctio peculli filiiam: tradita & explicata §. 1. sup. per quas pers. cuiq. acq. Planè si filius nominatim patri stipuletur, hoc casu etiam ex causa adventitii peculli patri in solidum acquireret: quippe quacumque ex causa ita stipulatur, patri acquirit; non sibi; per se enim sibi acquirere non vult, per patrem non potest. Don. ad d. l. 38. §. alteri. 17. num. 25.

TEXTUS.

De stipulatione facti.

2. Sed cum factum in stipulatione continentur, omnimodo persona stipulantis continentur; veluti si servus stipuletur, ut sibi ire agere liceat; ipse enim tantum prohiberi non debet, non etiam dominus ejus.

COMMENTARIUS.

Proponitur hic per modum exceptionis regulæ initio positæ, quod cum servus factum in stipulationem deducit, idque (quod subaudiendum esse exemplum subjectum ostendit) in suam personam consistit, in hæc stipulatione persona servi, non domini, consideretur. Cæterum revera nihilominus valet & subsistit hæc stipulatio ex persona domini: quippe cui obligatio & facti illius emolumentum quaeritur; jusque servum juberet facere, puta ire agere, pro commodo suo, & cui commissæ stipulatione ad id in id, quod sua interest, competit. Itaque dicendum est, hæcenus tantum hujusmodi stipulationem personam servi spectari, ut ipse solus, non etiam dominus ejus ex mente promissoris facti illius exercitium habere debeat, d. l. 38. §. hi qui. et §. seq. de verb. obi. Atque hoc sentia alibi dictum est, ea que facti sunt, non transire ad dominum l. qui hæredi. 44. pr. de emd. et dem.

Ir agere liceat] In hæc stipulatione non jus, sed factum verlatur; idemque persona servi tantum comprehensa intelligitur, ut is solus ire agere prohiberi non debeat, non etiam dominus ejus, d. l. 38. §. 6. v. v. cum vero, quamquam servus non ibit agere pro arbitrio suo, sed pro domini, cui illa stipulatione jus quaeritur servum transmittendi: Quod si servus stipuletur, vel factum ad fundum domini stipuletur, etiam si servi non domini persona comprehensa sit, domino jus eundi agendi acquirere: quoniam hæc stipulatione non simplex factum, sed jus servitutis continetur, per l. 17. hoc tit. Vinnius in iustitut.

TITULUS DECIMUS NONUS.
DE DIVISIONE STIPULATIONUM.

Ratio ordinis. Unde sumpta divisio hic proposita: eaque ad
bimembrem revocata.

Precessere duae stipulationum divisiones. Quarum prima ducta est à diverso contrahendi modo; unde aliae purae, aliae in diem, aliae conditionales, §. 2. *sup. de verb. obl. altera* à diversitate materiae, rebus scilicet & factis, quae in stipulationem deducuntur; unde aliae dandi, aliae faciendi, §. 5. *ult. d. tit.* Proferitur hic & tertia, ex l. 5. *cod. quod aliae sunt judiciales, aliae praeoriae.* aliae communes tam judiciales, quam praeoriae, aliae conventionales: quae tamen species non ideo hic distinguuntur, quod postrema à ceteris differat conventionem, sed quod origine & conventionis causa, ut appareat, distinctionem hanc sumptam esse à causis differentibus. Nam etsi nulla est stipulatio, quae non habeat conventionem; non omnes tamen ita habeat, ut inde primum nascantur, sed solae conventionales; unde etiam hoc nomen acceperunt. Potest haec divisio commode revocari ad bimembrem, ut dicamus, stipulationum quasdam esse necessarias, quasdam voluntarias. Necessarias, quae inveniuntur pro auctoritate praeoriae aut iudicis infirmitate; voluntarias, quae concipiuntur ex voluntate atque arbitrio contrahentium; quae veteribus dictae sunt conventionales, eo quod ex sola conventionem partium sunt, *d. l. 5. pr. verb. conventionales.*

T E X T U S.

Divisio.

Stipulationum aliae sunt judiciales, aliae praeoriae, aliae conventionales, aliae communes tam praeoriae, quam judiciales.

1. *Judiciales sunt dumtaxat, quae à mero iudicis officio proficiuntur: veluti de dolo cautio, vel de persequendo servo, qui in fuga est, restituendove pretio.*

N O T E.

[Aliae judiciales, aliae praeoriae] Ex Pomp. l. 5. *de verb. obl.*

1. *Veluti de dolo cautio*] Puta actione in rem vel quod metus causa: nam iudex in restituenda re, de qua agitur, cavere jubet dolum malum abesse, l. 20. l. 45. *de rei vind. l. 9. §. 5. & 7. quod met. ca.* & parere reculantem condemnat in id, quod adversarii interest.

C O M M E N T A R I U S.

1. *Usus stipulationum judicialium, & in his officium iudicis.*

2. *Exempla harum stipulationum, & quaedam non allegata in textu.*

Quae à mero iudicis officio] Mero, id est, solo. Quod additum in definitione, ut renoventur communes: nam praeoriae etiam eo omisso factis excluduntur. Igitur judiciales stipulationes sunt, quae à iudicis officio proficiuntur, seu quas iudex pro officio suo interponi jubet; ac proinde his locus non est, nisi post litem contestatam, nam tum demum iudex quis esse incipit, *l. 1. C. de lit. cont. l. 1. C. de iudic. Officium iudicis seimus positum esse tum in eo, ut de re in iudicium deducta cognoscatur, tum ut de ea re sententiam ferat, aut convictum condemnando, aut non convictum absolvendo, l. qua de re 74. *de iudic. l. 9. C. cod. l. 1. de rei iud. Ergo si quis iudex lite contestata jubet aliqui pro officio cavere, & parere reculantem condemnare in id, quod adversarii interest, aut reum absolvat, sciamus, hoc profecti ad officium iudicis, stipulationesque iussu ejus interpositas judiciales nominari, etiam si praeor sit, aut alius magistratus, qui de causa cognoscit: quippe cum in eo non magistratus, sed iudicis pedicet partibus fungatur. Alio sensu, atque hoc loco, judiciales dicuntur in l. 3. *de praeor. stipul. nimirum, quae propter iudicium interponuntur, ut id ratum sit; seu iudicis futuri stabilendi causa, ut iudicium solvi, & ex operis noni nuntiatione: quae species sunt praeoriarum. Stipulationum judicialium duas species hic afferuntur, de dolo cautio, in actione in rem vel quod metus causa: nam iudex in restituenda re, de qua agitur, cavere jubet, dolum malum abesse, l. praeoriae. 20. l. si homo. 45. *de rei vind. l. 9. §. Julianus. 5. & 5. ex hoc 7. quod met. ca.* item de servo persequendo & reddendo, qui in fuga est, l. servo legato. 69. §. ult. *de legat. l. 1. item si 14. §. quod si homo. 11. quod met. ca.* Sunt & multae aliae, veluti quae interponuntur officio iudicis familiae eriscundae, l. & puto. 16. l. heredes. 25. §. contra. 10. *famil. erisc.* itemque officio iudicis additi vindicationibus servitutum, l. 7. l. 12. *si serv. vind.* & aliis actionibus***

T E X T U S.

De praeoriae.

2. *Praeoriae sunt, quae à mero praeoris officio proficiuntur; veluti damni infecti, vel legatorum. Praeoriae autem stipulationes sic audiri oportet, ut in iis etiam continuantur aedilitiae: nam & haec à jurisdictione praeoris veniunt.*

C O M M E N T A R I U S.

1. *Unde cognoscantur stipulationes praeoriae & earum usus, & varia exempla.*

2. *Quibus in causis locus aedilitiae, & mendum à textu sublatum.*

3. *Distinctio judicialium & praeoriarum; quae alias nunc minus conspicua, ad usum fori hodiernam accommodata.*

Amero praeoris officio] *A mero.* Hoc ad judiciales excludendas supervacuum: sed additum hic itidem, ut excludantur communes. Ab officio praeoris profecti dicantur, quae à jurisdictione veniunt. Hoc ex eo cognoscemus, si extra iudicium cautio injungatur & adversus reculantem procedatur remediis magistratus propriis, puta missione in possessionem bonorum ejus, aut denegatione jurisdictionis. Igitur quod hoc loco scriptum est, & l. 1. §. 1. *de stip. praeor. cautiones, quae praestantur ex causa damni infecti & legatorum servandorum, stipulationes esse praeoriae, id hinc intelligimus rectè dici, quoniam extra iudicium injunguntur, & nisi caveatur, mittitur adversarius in possessionem bonorum ejus, qui non caveat. l. 7. *de damn. rest. tit. ut leg. nam. cav. & tit. ut in poss. leg.* Similiter cautiones iudicatum solvi, & ratam rem haberi, hinc cognoscimus, esse praeoriae, ut scriptum est in l. 1. §. 1. & 2. *de stip. quia & ipse lite nondum contestata exiguntur, §. si verb. 5. inf. de satisd. l. Pompeianus. 40 §. pen. de procur. & qui illam praestare recusat, eam praeor non admittit ad alienam defensionem, §. 4. & 5. inf. d. tit. qui hanc, ei denegatur alieno nomine agere volenti actio, §. 3. l. minus. 43. §. penna. 4. *de procur.* Eiusdem generis est & cautio fructuaria: nam si usufructus nomine non caveatur, denegatur petitio aut retentio usufructus, l. 7. *usufr. quemadmodum. cav. Plures recenset D. Cujac. in l. 5. de verb. obl.***

2. *Continuantur etiam aedilitiae*] Aedilitiae sunt, quibus venditor cavet de morbis & vitis rerum venalium, puta rem morbosam non esse, servum fugitivum non esse, errorem non esse, & de ceteris, quae edicto aedilium curialium promittuntur, l. 1. & passim, *de aedil. edict. l. si ita*

quis 31. & l. seq. *de edict.* Haec stipulationes omnes profecti dicuntur à mero aedilis officio, quia jubet aedilis eas interponi sine ullo iudicio ac nisi interponantur, venditorem non condemnat, sed actionem adversus eum dat ad reddendum intra duos menses, vel quanti emptoris interest, intra sex menses, l. si venditor. 28. *de aedil. edict.* in quo licet agnoscere aedilis quatenus aedilis, id est, magistratus & jus dicentis auctoritatem, l. 1. *de jurisd. VINN.* Praeoris ergo vocabulum hic in sensu latissimo accipi videtur pro quovis magistratu, cui est jurisdictione. Unde & proef. in provinciis si stipulationem interponi jubebat, praeoria haec dici poterat stipulatio. Quo observato nec admodum necessaria videtur emendatio, de qua paulo post Auctor noster. Jus enim aedilitium fere sub praeorio comprehendebatur §. 7. *Inst. de l. N. G. C. & Conf. Rittershus. h. t. p. 438. HEIN.*

A jurisdictione praeoris] Vox praeoris abest, à l. 5. *de verb. obl.* unde torus hic locus adverbium scriptus est, & expungendum censet cum Ruffard. Baron. Donell. Cujac. Hotom. Etenim aedilitiae stipulationes non possunt dici venire à jurisdictione praeoris, cum veniant à jurisdictione aedilium, quod expressit Theophilus: sed quod de praeoris tamquam principali specie stipulationum honorariorum dicitur, id etiam ad aedilitias rectè referatur: quoniam & haec ab officio jus dicentis veniunt, communemque cum praeoriae originem & causam habent, videlicet jurisdictionem magistratus. Neque aliud Justinianus hic, aut Pomponius in d. l. 5. sentiunt. Hodie haec praeoriarum & judicialium stipulationum distinctio minus conspicua est, postquam iudices à magistratu dari desierunt, idemque nunc iudex, qui praeor fere magistratus. Distinguunt vero nunc inter officium iudicis nobile, quod est iudicis, quae magistratus est, & quod vi jurisdictionis atque imperii sui exercet: & mercenarium, quod est ejusdem, quia iudex, & iudex notitios, subveniens actioni instituta. Itaque praeoriae stipulationes etiam nunc sunt & dici possunt, quae extra iudicium aut ante litem contestatam interponi jubentur propter cogendi remedia, l. 4. *de jurisd. judiciales, quae post litem contestatam institui iudicis promovendi causa.*

T E X T U S.

De conventionalibus.

3. *Conventionales sunt, quae ex conventionem utriusque partis concipiuntur: hoc est, neque iussu iudicis, neque iussu praeoris, sed ex conventionem contrahentium, quarum totidem sunt genera, quod (pene dixerim) rerum contrahendarum.*

COMMENTARIUS.

EX conventione utriusque partis] Pomponius ex conventionem reorum, l. 5. hie tit. Ex conventionem autem sic accipit, ex conventionem sola: nam & cetera stipulationes ex conventionem partium constant: at non inde solum proficiuntur, sed prima eorum causa est auctoritas iuberentis. Unde exiit & hae differentia, quod praeioris stipulationes ex mente ipsius praetoris, conventionales ex mente contrahentium interpretationem accipiunt, l. 1. §. ult. l. in praetoris. 9. de praes. stip. & quod in praetoris, si quid addi, vel detrahi, vel mutari oporteat, id iudiciorum praetoris fit: in ceteris contra, l. in conventionibus. §. 2. de verb. obl. l. 1. §. ult. de stip. praes.

Quot rerum contrahendarum] Id est, obligationum seu negotiorum, quae contrahi possunt. Et ideo necesse non fuit ulium conventionalium stipulationum exempli causa profert, ut factum in superius, quae non aequae nota & usitatae sunt (*quod dixerim*) tantum modestae causa additum videtur: nullum enim omnino negotium inter homines contrahitur, super quo stipulatio non recte interponatur.

TEXTUS.

De communibus.

4. *Communes sunt, veluti rem salvam fore pupillo, (nam & praetor jubet rem salvam fore pupillo caveri, & interdum iudex: si aliter haec res expediri non potest,) vel de rato stipulatio.*

NOTE.

4. *Et praetor jubet rem salvam]* Et quidem regulariter: unde etiam haec cautio inter praetorias numeratur, l. 1. §. 2. de stip. praes.
De rato stipulatio] Haec est, quae exigitur a procuratore alieno nomine actionem postulante: quae & ipsa praetoria fore est, l. 1. §. 2. de stip. praes. Ceterum si in lite contestanda omnia sit, & postea certum esse coepit, falsum esse procuratorem, recte iudex hanc satisfactionem ab eo exigit, per d. l. 1. C. de ord. jud. Add. Pomp. l. 5. de verb. obl. & stipulationem duplam, quia sc. venditor cavet rem ruitisam non esse, Sec. l. 32. de exid. affidua dicitur l. 31. §. 20. de adit. ed. & hae interdum possit iudicis interponitur, interdum imperio aditis, d. l. 5. de verb. obl. Cautè hic legendus Theoph.

COMMENTARIUS.

1 *Cur duas stipulationes hic propositas Ulpianus praetorias, & quo sensu quasdam communes appellat?*

2 *Rem pupilli salvam fore quando praetor caveri jubet, quando iudex? Et Theophilus nominat.*
3 *Idem quaeritur in stipulatione rem ratam haberi.*
4 *An stipulatio dupla, & quando communis?*

Stipulationes communes sunt, quae rebus ita exigentibus interdum auctoritate praetoris aut aditis interponuntur, interdum iubente iudice, d. l. 5. in pr. *verf. commentis.* Huius generis duae hic commemorantur, cautio rem pupilli salvam fore, & rem ratam dominum habiturum. Ulpianus l. 1. §. 2. de stip. praes. utramque hanc inter praetorias numerat, ut mirum ex potiori, & eo, quod regulare est, rem aestimans. Quod & nos consideravimus sup. §. 2. Apud Pomponium d. l. 5. refertur & tertia ejusdem generis, stipulatio dupla: neque plures, quod sciam, quae quidem communes eo, quod diximus, sensu appellentur, occurrunt. Longè enim aliter atque hoc loco communes accipiuntur ab Ulpiano l. 1. de stip. praes. nimirum ex praetoris ille, quae & iudicis continendum firmandum causa interponuntur, & simul caucionales sunt, quae sunt iudicio sitendi causa, d. l. 1. §. 3.

Rem salvam fore pupillo] Haec stipulatio regulariter iussu praetoris interponitur, nullo interveniente iudicio aut causa cognitione; & ni caveat tutor, pignorum captis aut multa indicta coercetur, sup. de satisf. tut. pr. junct. §. pen. l. 11. de adm. tut. quorum nihil est iudicis, qui nudam dumtaxat notionem habet, l. 5. de re jud. junct. l. 4. de jurisd. Sed si nge, debitorem pupilli convenim, à tutore, post litem contestatam demum inter moras iudicis cognovisse non satisfedisse tutorem, atque ad hanc exceptionem confugere; utique audiendus erit, arg. l. 3. C. de tut. qui fac. nov. ded. & officio iudicis in iungetur stipulatio. Quippe quae propria magistratus sunt & jurisdictionis, si de his principaliter agatur; ea si in iudicium per consequentiam incidunt, ad iudicis cognitionem & officium pertinere incipiunt, l. 1. C. de ord. jud. Aperte autem hic lapsus est Theophilus, bonus aliqui & non contentendus interpres: qui dum probare cupit, stipulationem rem pupilli salvam fore aliquando iudicalem esse, pro iudicis attulit exemplum praetoriae, ejus nimirum, quae ante litem contestatam interponi jubetur ab eo, qui de ea re in jus aditus est. Quo casu non potest non esse praetoria, cum eo tempore nullum adhuc iudicium, nullus iudex sit. Eumdemque errorem mox iterum errat in explicatione cautionis de rato. Quod ideo monendum putavi, quia plerique decepti auctoritate viri laici habent, lectorem, tanquam in te explorata ad eum remittere.

Si aliter haec res expediri non potest] His verbis, haec res, perpicuum est non intelligi cautionem, sed iudicium seu rem, de qua iudicio contenditur. Cautio enim semper per praetorem expediri potest, si ab eo stipuletur; iudicium vero non temper, nisi iussu iudicis cautio interponatur.

Vel de rato stipulatio] Stipulatio de rato seu ratam rem haberi, ea est, quae exigitur à procuratore alieno nomine actionem postulante. Haec interdum regulariter iussu praetoris, atque ante litem contestatam interponitur. Ceterum si in lite contestanda omnia sit, & postea certum esse coepit, falsum procuratorem esse, recte postulant adversario hanc iudex satisfactionem ab eo exigere. Nam quod dicitur, in l. Pomponius. 4. §. pen. de procur. lite semel contestata, procuratorem ad cautionem rathabitationis non compelli, id in re incerta, ubi de mandato non plene constat, & aliqua pro procuratore praesumptio est, locum habet, quo scilicet casu ante litem contestatam etiam reo invito cum cautione admittitur, l. 1. C. de procur. Neque obstat regulae de exceptionibus dilatoriis, quales sunt procuratoriae: post litem contestatam non opponuntur, l. 4. C. de jurisd. l. 13. C. de procur. quippe quae fallit, quando dilatoria eam vim habet, ut nullos reddat omnes actus iudicii.

Cujusmodi inter alias est excellenti falsi procuratoris, d. licet. 24. C. de procur. ubi Sichel. num. 2. & 3. Gail. l. 1. obs. 37. num. 1. Pomponius d. 4. l. 5. de verb. obl. communium stipulationum numero adhibet & stipulationem duplam, eamque ait vel ab iudice venire, vel ab aditis edicto, id est, interdum iudicis iussu interponi. Interdum imperio aditis. Nam ut edictum adilionum publicum hic interpretetur, neque verba Pomponii patiuntur, quia illud non est unius aditis, led plurium, l. 1. & passim de adit. edict. neque sententia: quod manifestè arguit precedens definitio communis? An cum ob evictionem interponitur? minimè. Haec enim potitur actione ordinaria, semperque iudicialis est, nunquam adilitia, ut. tit. de evict. Sed est praetor vulgarem illam ob evictionem & alia, quae ob eas causas petitur, de quibus edicto adilionum cavetur, puta rem vitiosam non esse, morbosam non esse, &c. l. quia dicitur. 32. de evict. stipulatio affidua ab Ulpiano habeatur, l. quos si natis. 31. d. quia affidua. 20. de adit. edict. De his rebus qui sibi duplam promitti postulat, his adversario recusante aut agi ex empto praesic ad duplam, qua parte iudicialis est, aut redditoria, & hic est adilitia, quia post litem contestatam nunquam interponitur. Don. in d. l. §. pr. ubi. 27. & 28.

TITULUS VIGESIMUS.

DE INUTILIBUS STIPULATIONIBUS.

C. Lib. 8. Tit. 39.

Continuatio. Quot modis accidat, ut inutilis sit stipulatio.

Hactenus visum, quomodo verborum obligatio rectè contrahatur, stipulationesque utiliter concipiuntur, sequantur contraria, ea videlicet, quae stipulationem viciant, eamque inane atque inutilem reddunt. Quorum quidem rerum tractatio est ad ceteras quoque conventiones & obligationes perinet; non male tamen hoc loco instituitur, ut in argumento communi: quippe cum, ut interit. de verb. obl. dictum est, stipulationes inveneant sint ceterarum conventionum & obligationum firmandarum gratia: & ideo fore novissima parte cuiusvis negotii subici solent. Ut vitiosa sit atque inutilis stipulatio, multis modis accidit. Quaedam enim inutiles sunt propter materiam seu rem in obligationem deductam; quaedam propter defectum causae efficientis; aut qualitate persone stipulantis promittentive: aliae propter vitium formae & adjectionum. Quae ferè summa est eorum, quae hoc tit. explicantur. Ex his autem causis sit, ut stipulatio ipso jure sit inutilis, ita ut nec actionem producat. Quibusdam etiam modis sit, ut inuti-

lis sit non ipso jure, sed ut ex eaagens exceptione submoveatur, inf. de except.

TEXTUS.

De his quae sunt in commercio.

Omnis res, quae dominio nostro subicitur, in stipulationem deduci potest, sive ea mobilia sit, sive soli.

NOTE.

Dominio subicitur] Id est subijci potest, aut solet, *adventitios dominorum*, Theoph. verba enim in disciplinae potentialiter accipiuntur.

COMMENTARIUS.

Dominio nostro subicitur] Id est, subijci potest. Nam ea, quae nondum in dominium nostrum pervenerunt, atque adeo quae nondum sunt, in stipulationem deduci possunt; veluti frumenta, quae in herbis sunt, fructus fundi; partus ancillae, l. interdum. 73. l. ubi autem. 75.